



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XII. De asyli iure ecclesiis concesso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

VIII.

Octauo autem titulo mandamus , vt in Legione , & in suis terminis , in Gallæcia , & in Asturiis , & in Portugale , tale sit iudicium semper , quale est constitutum in decretis Adefonsi regis pro homicidio , pro rauso , pro saione , aut pro omnibus calumniis suis . Tale vero iudicium sit in Castella , quale fuit in diebus aui nostri Sancii ducis .

IX.

Nono quoque titulo præcipimus , vt triennium non includat ecclesiasticas veritates , sed vnaquæque ecclesia ( sicut Canones præcipiunt , & sicut lex Gothicæ mandat ) omni tempore suas veritates recuperet & possideat .

X.

Decimo vero titulo decreuimus , vt ille qui laborauit vineas aut terras in contentione positas , colligat fruges , & postea habeant iudicium super radicem , & si victus fuerit laborator , reddat fruges domino hereditatis .

XI.

Vndecimo autem titulo mandamus vt Christiani per omnes sextas ferias ieunent , & hora congrua cibo reficiantur , & faciant labores suos .

XII.

Duodecimo quoque titulo præcipimus , vt si quilibet homo pro qualicumque culpa ad ecclesiam confugerit , non sit ausus aliquis eum inde

ANNO CHRISTI 1050. violenter abstrahere , nec persequi infra dextros ecclesiæ , qui sunt triginta passus , sed sublato mortis periculo , & corporis deturbatione , faciat quod lex Gothica iubet . Qui aliter fecerit , anathema sit , & soluat episcopo mille solidos purissimi argenti .

XIII.

Tertiodecimo titulo mandamus , ut omnes maiores & minores veritatem & iustitiam regis non contemnant , sed , sicut in diebus domini Adefonsi regis , fideles & recti persistant , & talem veritatem faciant regi , qualem illi fecerunt in diebus suis . Castellani autem in castella talem veritatem faciant regi , qualem fecerunt Sancio duci . Rex vero talem veritatem faciat eis , qualem fecit præfatus comes Sancius . Et confirmo totos illos foros cunctis habitantibus Legione , quos dedit illis rex dominus Adefonsus , pater Sanciæ reginæ vxoris meæ . Qui igitur hanc nostram constitutionem fregerit , rex , comes , vicecomes , maiorinus , sago , tam ecclesiasticus , quam sæcularis ordo , excommunicatus , & a consortio sanctorum segregatus , & perpetua damnatione cum diabolo & angelis eius damnatus , & dignitate sua temporali sit priuatus .